



## VICUS WARINGANUS.

**N**omen duxit à pago Waring à multis Vien-  
nensium villis perculto , & proximè extra  
linearum vallum adfito. Ante obsidionem mor-  
bidorum vallem Sichenthall , vel Siechenhalls  
dictum , suprà commemini , quòd situs editior  
auræque liberiori accipiendæ apertior salubritati  
servire videretur.

Ejus pars Schottenberg , scu Scotensium Mons ,  
vetus nomen habet ; pars altera ad Alsherranum  
rivulum porrecta recentiori appellatione Strudl-  
berg audit , à Strudeliis Baronibus statuariis ac  
pictoribus clarissimis quique harum artium Aca-  
demiae hodie longè florentissimæ secundissima  
initia dedere , simul Palatum insigne in edito  
construxere .

E Boreali latere Scotensis collis declivis ab  
Rossavia dividitur ; ad meridiem vicum Alsher-  
ranum contingit , atque ad linearum usque val-  
lum procurrit , longitudine 21000. latitudine ,  
quà maxima est , 1500. passuum , capacitate ve-  
rò areæ universæ pedum quadratorum 283000.  
cæterùm situ peramæno , ex edito in subjectam  
Rossaviam , Danubianas insulas , transdanubia-  
nam oram longissimè prospectans. Subjectæ colli-  
valles id emolumenti præbuere obseßæ atque  
jam ad extrema 1683. redactæ urbi , quòd hâc  
illâc in castra Christiana commeanti Kollschüzkio  
non animadversam ab hostibus viam dedere .

Etsi non amplis admodum finibus est Warin-  
ganus hic **vicus** , ac duabus prælongis plateis fi-  
nitur ; familias tamen numerat octingentas , hoc  
est minimum 6550. capita. Soli , cui insidet ,  
argillacea natura lucrosa est incolis civibus :  
quan-

quando cæteris circum urbem propinquioribus ejusmodi fundis jam propè exhaustis hic nimis rum pro lateritiis fornacibus abundante materia proventum capiunt non contemnendum.

Urbani magistratus ditioni parent, ac communi cum Alsherrano judici: sacra vero petunt à Scotensium Paræcia. Inter ædificia eminent maxime, Principum Dietrichsteiniorum, & Kuffsteiniorum Comitum cum horto Palatia splendida: item ædes Strudeliorum Baronum, ubi & Sacellum publicum sancto Petro Apostolo dicatum invisitur: item Schikiana, Frenneriana, Bormaſtiniana, præter secundi ordinis hortos permultos, atque alia octodecim viridaria. In Prenneriana domo nobilis est officina, quâ aureis argenteisque filis tæniæ, fimbriæ, strophia, aliâque ejus generis opera elaborantur.

Cæterùm suburbium isthoc, quod ægrotantis Vienæ velut asylum dicas, non aliâ re se magis commendat, ac tribus insignibus Nosodochiis, Hispanico videlicet; à Pistoribus dicto; & Lazaretho. Hispanicum conditorem habet hodie glorioſissimè imperantem Augustum Carolum VI. id quod è fundamentalis lapidis inscriptione cognoscas:

SUB. INVOCATIONE.

DEIPARÆ.

DE MERCEDE.

AUGUSTISSIMUS. ROMANORUM.

IMPERATOR.

CAROLUS VI.

CLEMENTISSIMUS.

PIÆ. DOMUS.

SANCTI. HISPANSÆ. MONARCHIÆ.

HOSPITALIS,

FUNDA-

FUNDATOR.

PIISSIMUS. ELARGITOR.

PRIMUM. HUNC. POSUIT. LAPIDEM.

DIE II. AUGUSTI.

ANNO. SALUTIS. M. DCC. XXII.

Templum habet & amplum satis & ab aris, picturis, cæteroque cultu longè elegantissimum, Anno 1723. ab Eminentissimo Principe S. R. E. Cardinali ex Com. de Kollonitch Viennensium Archi-Episcopo B. Virginis de Mercede honoribus inauguratum.

Constitutum porrò, & redditibus amplissimis locupletatum Hispanorum præcipue ægrotantium commodis, quorum magna multitudo, studio ac fide erga Augustissimum Dominum ducta patrii soli dulcedinem exilio postposuerunt: patet & Mediolanensibus, Neapolitanis, Siculis, Belgis, ac Germanis Hispanarum uxorum maritis. Ecclesiæ ministerio, ac infirmorum procurationi spirituali ejusdem gentis Sacerdos Prioris nomine, ac duo adjutores Presbyteri præfecti largis sanè stipendiis aluntur.

Rem familiarem ità iis dictus *Major Domus*, quæque ad infirmorum ministeria pertinent, administrat: atqne piissimum opus ne quid detrimenti capiat, salvaque serventur & sarta instituta; duo è Consiliis Hispánicis magnates, superintendentium nomine, ab Augustissimo ipso designantur. Ipsa Nosodochii fabrica sanè magnifica est ambulacris commodis, conclavebus præaltis, horto item ad convalescentium solatia, Pharmacopæa insuper propria, Medico ac Chyrurgo splendide instructa.

Alterum Nosodochium vulgo *Pistorum Domus Becken-Hausl* appellatum: nomen inde ductum, ut quidam volunt, quod cum non aliud artificum genus ac pistorium isthoc tabe crebriore la-

laboraret , horum maximè perfugio primū  
coēmpta sit ea domus , quò nunc ii præsertim ,  
qui malignis ac contagiosis febribus periculum  
creant , deportari , ac impensis curis refoveri so-  
lent. Numerus decumbentium subinde tercente-  
simum excedit ; quibus expertissimus Medicus ,  
**Chyrurgus** ac numerosum famulitum præstò sunt,  
præter proprium è Scotenfi Cænobio Parochum ,  
qui in adfito D. Rosaliæ sacro non maximè mo-  
lis templo sacra peragit.

Tertium denique (quod boni Superi in multos  
annos vacuum velint & inutile ) Lazzarethum  
dicitur , præstiferorum usibus unicè destinatum ;  
atque heu ! Annō 1679. cùm pestilentia ab ho-  
minum memoria sævissima septuaginta amplius  
hominum millia neci dedit , nimis frequenta-  
tum , nec A. 1713. à miseris incolis infrequens.  
Templum habet D. Joanni Baptistæ sacrum &  
cum Chyrurgo Parochum , pestiferorum obsequiis  
devotos. Visitur denique in hoc suburbio attribu-  
tum heterodoxorum funeribus profanum , ac  
nullâ cruce cæmeterium.

## VICUS ALSHERRANUS.

**W**Aringensem vicum Alsherranus excipit ,  
ita à præterfluente rivulo Alsherra ( Alsters  
Bach ) nominatus. Quamquam nonnulli alii **Al-  
scher Bach** dicendum existiment , nempe qui è  
propinquo pago Alsherten defluat : hunc verò  
alijs pagum à loci primo Dynasta Domino de  
Als dictum opinentur. Ante obsidionem Vien-  
nensem campus hic erat nudus , & semita pu-  
blica inter agros in viciniores pagos ducens ;  
qua causâ & hodie plateæ nomen servat , &  
ab eorum hæredibus colitur , quorum domici-  
lia alijs urbis mœnibus adlita , solo æquata fuerant.

Altero latere , quod diximus , Waringani ; altero Josephini suburbii limitibus finitus , ad lineas usque longitudine mille passuum & 740. latitudine vero maxima 1800. capacitate areæ pedum quadratorum , 1518400. Hos inter limites et si arva non pauca interjaceant , familiæ nihilominus degunt sexcentæ viginti , quas ad octo millia capitum tutò æstimare liceat. Plateis tribus superâ , mediâ , inferâ dissecatur , quibus clariora ædificia complura dignitatem splendorém. que concilian.

Comitum de Paar palatum plurimæ celebritatis , commodissima equariæ domituræ palæstrâ , quam scholam equestrem vulgo dicimus , alias & hodie gymnasticis ejusmodi nobilissimorum adolescentum equitum exercitationibus plurimum frequentatâ. Visendum item hic se præbet Comitum Schönborniorum palatum cum amplissimo venustissimoque horto ; Comitum item de Dietrichstein , Mellicensis Abbatis , Baronis de Heübel , de Pirchenstein , Glandorff , DD. Marckl , Scheublauer , Leeb : cuius postremi ædes , dum A. 1701. ab Hebræis incoleretur , expilata fuit. Atque alii minoris molis horti sunt supra quinquagenos.

Præfectus civibus suus Judex ab Urbano magistratu pendet. Paræcialia jura penes memoratum saepius Scotensium RR. PP. Benedictinorum Cœnobium est. Inter suburbii hujus prima ornamenta veniunt florentia duo Cœnobia , Provincialium Statuum Academia , ac pauperum Domus , de quibus cùm dici possent plurima ; summa tantum capita delibâsse pro instituti opusculi jejunitate sufficiat.

Asceterium RR. PP. Benedictinorum de Monte Serrato , celeberrimi nempe illius in Cataloniâ Cœnobii Colonia , de Scotensi urbis porta egreditibus primùm in oculos incurrit : novis Coloniis vulgus nigrorum Hispanorum , cùm ab habi-

tu ejus instituti proprio , tum origine petitum  
indidit ; tum ut discriminem esset inter vicinos  
item ex Hispaniâ traduces ascetas , quos ab ve-  
ftium colore *Albos Hispanos* appellant , de quibus  
mox . Monserratinis initium fecit Ferdinandus  
II. Cæsarum pientissimus Anno 1633 . postquam  
jam satis confirmatum esset ; communi illo anni  
1683. turbine involutum in cineres resedit : post-  
modum Antistitis sui incredibili felicissimâque so-  
lertiâ , à fundamentis ad omnem commoditatem  
instauratum , ac Ecclesia præcipue ad Architecto-  
nicos canones eum in modum educta est ; ut cùm  
suprema manus acceperit , inter præcipuae venu-  
statis templa futurum non ex vano videatur .

Hujus Cœnobii Patribus commissum est amplif-  
fimi ambitùs cæmeterium , commodis circùm  
cryptis majorum suorum cineres piè invisentium  
commodo , epitaphiis innumeris , atque DEI paræ  
Cellensis Sacello decoratum . Ea Icon ab Augu-  
stâ Eleonora Magdalena Theresia sanctissimæ me-  
moriæ Imperatrice , alias Cœnobii templo ad pu-  
blicam venerationem dono data , in hoc subinde  
facellum translata est . Quos aut sumptus aut va-  
letudo moratur , quin intra Styriæ alpes prodi-  
giis claram Virginem piâ peregrinatione vene-  
rentur , hîc nempe certis definitisque diebus pia  
vota persolvunt .

Alterum in media Alsherrana plateâ situm mo-  
nasterium est RR. PP. cx Ordine SS. Trinitatis de  
redemptione captivorum , quos Albos Hispanos  
apellitari jam nunc memini . Aream sanè am-  
plam , ubi alias , nescio quod , aulicorum in usus  
conditorum steterat , Leopoldus instituti longè  
utilissimi Patribus attribuit , atque A. 1688. pri-  
mum ipse in fundamenta lapidem dimisit . Ho-  
die Cœnobium est perelegans : centum facile Reli-  
giosorum incolarum capax , ab quinquaginta  
habitatur . Templum item pulcherrime ornatum ,  
atque uno abhinc anno à binis turribus , cupre-  
tectis ,

rectis , singularem splendorem obtinuit. His  
magno urbanæ plebis concursu Christi è Cruce  
pendentis simulacrum multis beneficiis clarum ce-  
lebratur. Asservatum id fuerat annis 160. à Ci-  
biniensibus protestantibus , tumultum verò Un-  
garicorum tempore Rabutinio Comiti tum Tran-  
sylvaniæ Præfecto bellico , quòd in illa tempo-  
rum temporum calamitate , è solitis alioquin Xe-  
niis nihil se admissurum diceret , ab Ordinibus  
ac Senatu A. 1699. dono oblatum. Indignum  
duxit ejusdem Conjux è Ducum Holsatorum san-  
quine orta , eum thesaurem privato in sacrario  
delitescere , A. subinde 1708. Templo huic ad  
publicum cultum deferri jussit , suavissimis dein-  
ceps gaudiis delibuta , cùm piæ suæ voluntatis  
fructus extrescere conspiceret opinione majores.

Illustrissimorum Provincialium ordinum Aca-  
demia pro fronte hanc præfert inscriptionem :

VIRTUTIS ET HONORIS

ATHENÆUM

AUGUSTORUM CÆSARUM PATRIÆ PRINCIPUM  
PRIVILEGIIS MUNITUM.

AB

INFERIORIS ARCHIDUCATUS AUSTRIÆ

INCLYTIS STATIBUS

NOBILITATI PRO SAGO ET TOGA

ERUDIENDÆ

A. SAL. M. DC. LXXX. ERECTUM.

M. D. CCXXX. RESTAURATUM.

Condita est & impensis ingentibus sustentatur  
ab iisdem Austriæ Inferioris Statibus , quorum  
authoritate & auspiciis certus numerus adole-  
scentum tum è primi ordinis tum secundaria E-  
questrì nobilitate prognatorum , publico impen-  
diò omnibus nobilium disciplinarum studiis eru-

ditur : quibus accedunt alii magno numero suo  
ære vicitantes contubernales. Sunt nec levi sti-  
pendio conduci Philosophicæ , Juridicæ , Ma-  
thematicæ , Lanisticæ , Saltandi , Linquarum di-  
versarum , domituræ equestris lectissimi magistri ;  
nihil ut domi absit , quod foris ambitiosè , nec  
sine pernicie quæritur à multis. Instituta , mo-  
res , disciplinæ ac gubernationis ratio ferè eadem ,  
quæ in aliis Europæ nobilium Academiis.

Academiæ contiguum est grande Xenodochium ,  
aliàs humili nomine *Pauperum Domus* dicta , inter  
præcipua non hujus duntaxat suburbii sed Vien-  
næ nostræ monumenta in eam jam magnitudi-  
nem proiectum , ut cùm decantatissimo illo Lu-  
tetiano *Hospitali Dei* fin minus structuræ magnifi-  
centiâ , certè amplitudine , alumnorum numero  
seu egentium , rebúsque quæ in domibus ejus-  
modi cæteris spectandæ sunt , in contentionem  
venire possit. Magni operis , ut rerum aliarum ,  
tenuia fuere principia. A. 1693. tanta vel secun-  
do Danubio defluxerat , vel aliis sc ex partibus  
annonæ caritate pressa huc contulerat egentium  
mendiculorum multitudo plateas perreptantium ,  
domos ipsas ac templa præcipue obsidentium , ut  
de medendi ratione consultari per tribunalia ju-  
beret Leopoldus , & perquisitionem fieri : de sti-  
pe provideri verè egenis : fucos verò indignos ,  
ac inertes otiososque errores ex urbe deportari.

Facta Iustratione numerus ingens ab urbe de-  
pulsus , septingentis verò ultimâ penuriâ oppressis  
adeò prospectum est ; ut dum commodior habi-  
tatio attolleretur , in per ampla Domo quam *Con-  
sumaciam* dicunt , subinde degerent ; in diurnum  
verò victum viri novenos cruciferos nummos , se-  
nos fœminæ , ternos pueri è collecta stipe reci-  
perent ; præcipua verò ex authoratorum , ac vel à  
vulneribus , vel ætate invalidorum ratio habere-  
tur ; idem denique pensum 150. litterarum Stu-  
diosis

diosis obveniret. Hæc inquam magnæ molitionis prima suêre exordia , adeò effusâ in miseros Viennensium charitate ; ut collectitia illa & indies augescens multitudo aleretur utcunque. Sequentibus annis ut ad perpetuitatem constabili- rentur cæpta , non egenæ turbæ tantum , sed & Reipublicæ saluberrima ; spatia coempta sunt amplissima , atque ædificationi factum initium. Viam præivit Augustissimi ipsius liberalitas verè regia , attributis de suo ærario in dotem , centum triginta florenorum millibus.

Hac exempli claritate commoti permulti opum suarum participes voluere Christi pauperes : surgentis molis adjumenta , ac veluti nervi præcipui suêre Eminentissimi , Cardinalis Leopoldi Kolönitsch ac Strigoniensis Archiepiscopi , uti & Comitis de Welz Excel. Regiminis opulentissima legata. Immortali memoria digna est hujus Welzii Comitis charitas , cuius maximè industriâ , ardore , contentione incredibili opus hoc in id fastigii perductum est : suæ domûs hæredes scripsit pauperes , in quâ hodie Mons pietatis , vulgo Pignoratitium officium Pfands Amt , eorundem pauperum alimentis destinatum , uti & vestigal è meritoriis curribus , aliisque ejusmodi accessoria subsidia. Longum sit enumerare Patronum minorum nomina , qui uni , duobus , pluribuscve pro facultatum modo stipem perpetuam fundavere. Complementum addidit Illustrissimus Baro de Thavonat reliqâ sorte , è cuius censu sexcenti admodum invalidi milites largiter sustentarentur.

Ædificium ejus molis est hactenus , quæ hominum quinque millibus habitationem commodam præbeat ; et si in præsenti tribus millibus non amplius censet. In areas dividitur quinque , quarum prima decumana longa est orgias centum , quinque & nonaginta lata. Altera quam Thavonianam dicunt , patet in longum orgiis 52. in latum 37. Tertia studiosorum longa org. 37. la-

ta 23. Quarta infirmorum longa org. 37. lata 18.  
Præter has tres novæ apparantur areæ singulæ 26.  
org. longæ , diversa latitudine : spatum univer-  
sum mediocris oppidi magnitudinem æquat.

Victitandi ratio hæc est : vulgo pauperum quot  
trieniis nova vestis , quot diebus qnini cruciferi  
viris , quaterni fœminis , trini prolibus ; Thava-  
nathianis militibus quotidianum stipendium ero-  
gatur novem cruciferorum , dimidio tamen cru-  
ciferi in vestem comparandam detracto.

Litterarum studiosis adolescentibus hactenus  
ordinarium dimensum fuerant vulgo seni cru-  
ciferi ; quibusdam è S. Alexii fundatione quin-  
deni ; septeni è Kreulianâ : verùm quòd ea  
sui curandorum cura inexpertis adolescentibus  
litterarium cursum remoraretur , hoc demum  
anno constitutum ; ut indies quidem ternis cru-  
cigeris minus reciperent , statò tamen prandio  
trium ferculorum , cœnâ duorum unà conviverent ;  
atque adeò contubernium isthac justi collegii for-  
mam indueret : & florentius etiam futurum de-  
inceps , duæ res sunt , quæ augurium faciunt :  
altera , qnòd nemo nisi magno delectu & præbi-  
tis speciminibus adlegatur ; altera quòd mensibus  
singulis fidum à Professoribus de singulorum pro-  
gressione testimonium expetitur , iisque , quos vel  
diligentia deficit vel ingenium , certam sibi pro-  
scriptionem imminere sciant. Collegii hujus Præ-  
fectum Provisorem vocant : sunt qui cum Philoso-  
phis dictata repetant ; qui humaniorum littera-  
rum alumnis operam dent.

Ut ne extra Hospitalis septa evagandi potestas  
aut occasio sit ; singula quæ ad victum humanum  
pertinent , intus prostant vœnalia. Quin ut do-  
mi emendi singula necessitas esset , pro argenteâ  
cupream monetam recipiunt ; quæ deinde quot  
mensibus à mercatore domûs , lanione , pistore ,  
caupone repræsentata argento permutatur. Mo-  
netæ hæc forma est :



Gubernationis ac disciplinæ ratio, leges & instituta ejusmodi sunt, quæ domibus hujus generis, quotquot sunt, pro modulo & exemplo esse possint.

Toti hospitali summa potestate præest singulare **Consilium** è duobus aut pluribus Excelsi Regiminiis consiliariis viris integerrimis, ac promovendi operis studiosissimis; præside ejusdem Excelsi Regiminis Locumtenente, qui hebdomatis singulis in commune consulunt; causas, si quæ sunt, audiunt; omnia in emolumentum domûs decernunt. Nisi ex hujus *Commissionis*, ut vocant, vel consilii authoritate nullâ de re majori cœnomiæ Præfecto aliisque Curatoribus, quidquam decernendi potestas.

Ægrotantium commodo serviunt prægrandia duo conclavia quatuor & quadraginta orgias longa, pro viris alterum, alterum pro fœminis. Infirmis nunquam non ad manum est Medicus, Chirurgi, Pharmacopola, quique opportunis hortationibus vel animos decumbentium ad patientiam erigant, vel ad Christianam migrationem comparent, Sacerdotes. Cæterùm Paræcialis administratio, ut in reliquis hoc latere suburbii, penes quempiam è Scotensi Cœnobio delectum, ejusque duos adjutores est. Pars domûs, pro templo S. Crucis dicto conformata est haec tenus, dum novum, quæ spes est, assurgat.

Alia per ampla Domus vulgo Contumacie dicta , nescio qua nominis origine , nisi forte continetiae vox huc delata est. Eorum enim usibus servit , qui è pestilentiae bubonibus consanati ad constantis valetudinis periculum faciendum hic continentur tantisper , ac ut Itali loquuntur , quadragenam agunt. Tempellum D. Rochi honoribus consecratum est.

Uno abhinc anno ob majus commodum , salubritatemque urbis ad Metropolitanam S. Stephani inhumare corpora vetitum est ; adeò in hoc suburbio ea area , quæ alias pro campo Civium jaculario destinata , in cæmeterium urbis conversa est.

## De Pietate Viennensium Suburbana.

**A**mplius haud alibi superum monumenta refulgent ;  
Quà vertas oculos , stat Pietatis opus .  
Surgunt magnificis hinc templa innixa columnis ,  
Cælo ubi pro mundi Mystra salute litat .  
Hinc Pauperies miseris annosa levatur ,  
Invidiæ res est , hoc miser esse loco .  
Prostat ubi tota tibi , quod quæretur in urbe ,  
Hac una ut eredas urbem habitare domo .  
Parte alia morbos facili fugat arte Machaon ,  
Præsentemque malo fert medicamem opem .  
Et desperatam miseris dat cura salutem ,  
Aut superimposita corpora claudit humo .  
Quid , quòd & ipsa Dei signetur semita morte ,  
Quem referunt duris æra , lapisque notis .  
Deducitque viam , qua Golgotha surgit in auras ,  
Divinumque crucis de trabe pendet onus ,  
Cætera si desint , hac solùm parte Vienna ,  
Et dici , & poteris jam fatis esse pia .

JOSE-



In IOSEPHINA i. Com. de Kinsky. 2. Com. de Nadt. 3. D. Schellheim. 4. Templum et Collegium PP. Piarum Scholarum.  
5. PP. Minoritarum. 6. Com. Kollobrat. 7. Cæmeterium et Sacellum S. Ioan. Nepomuc. In LERCHENFELD 8. Xenodochij  
Cesaroi. 9. Sacellum ad 7. Refugia. 10. D. Purgau. ii. Pterodum Valenlian.